

male, est per operationem animae, ut patet in universali. Humanitas enim est aliquid in re, non tamen ibi habet rationem universalitatis, cum non sit extra animam aliqua humanitas multis communis: sed secundum quod accipitur in intellectu, adiungitur ei per operationem intellectus intentio, secundum quam dicitur species. (1. *Dist.* 19. q. 5. a. 1.) Confer etiam quae S. Doctor habet (2. *De Anima*, lect. 12).

360. *Corollaria*. — Ex dictis haec inferuntur.

I. Abstractio necessaria ad constituendum universale, prout huiusmodi, est abstractio *praecisiva totalis* [332, 333], qua nimirum in obiecto proposito ita apprehendatur essentia, ut non concipiatur numerica distinctio, qua unum individuum ab alio discriminatur. Haec porro praecisio duplici modo spectari potest. Primo ita, ut se teneat tantum ex parte *modi*, quo res concipitur: secundo, quatenus per reflexionem mentis denominet ipsam *rem* quae concipitur. Prima consideratio habetur in natura absolute spectata: altera vero respicit in re ipsum modum essendi, quem habet in intellectu. Quocirca non est idem dicere *homo, in quantum homo*; ac si dicatur *homo, ut abstractus*. Similiter aliud est *rem universaliter* concipere, ac *rem concipere ut universalem*.

II. *Intentio universalitatis* duplex est nimirum *formalis* et *obiectiva* [10]. Formalis intentio est ipsemet actus mentis sui cognitio, qua concipitur res ut universalis: obiectiva vero est ipsamet universalitatis ratio, qua concipitur, seu aptitudo essendi in multis, quam declaravimus. Utraque praesupponit et consequitur abstractionem nuper expositam, sed diversimode. Intentio enim obiectiva *constituit* rem in esse universalis; per *formalem* vero haec universalitas non constituitur sed cognoscitur. Ad priorem habendam satis esse videtur abstractio mentis praecisiva: ad alteram vero, praeter hanc praecisionem, superaddenda est reflexa comparatio naturae abstractae ad inferiora, in quibus multiplicetur vel multiplicari possit. Cf. Suarez (*Metaph.* D. 6. sect. 5. n. 8. seqq.).

III. Sedulo distinguere oportet haec tria, nimirum

naturam universaliter conceptam, naturam ut universalem, ac naturam cognitam ut universalem. Primum pertinet ad absolutam naturae considerationem, quemadmodum in decem praedicamentis consideratur, ac universale *metaphysicum* vel *directum* a pluribus vocatur: alterum est ipsum universale, prout huiusmodi, quod in quinque praedicabilia distribuitur, et a pluribus vocatur *logicum* vel *reflexum*: tertium denique nihil facit ad constitutionem universalitatis, sed exprimit ipsam cognitionem, quae habetur de universali iam constituto. Quamobrem Deus perfectissime cognoscit universalitatem, quam nos facimus vel facere possumus, quamvis ipse neque abstrahat nec consequenter universale efficiat, sed perfectissime omnia comprehendat.

SECTIO VII.

*Utrum numerica unitas
sive singularitas a natura specifica
reipsa distinguatur.*

361. *Status quaestionis*. — Quamvis haec quaestio ad Metaphysicam spectet, eam tamen hoc loco tractandam aggredimur, quia necessaria est tum ad penitentiorem intelligentiam eorum, quae dicta sunt, tum etiam ac praesertim, ut difficultates quae adversus doctrinam in superiori sectione stabilitam moveri solent, radicibus solvantur. Ne vero tota quaestio in aequivoco laboret, duo praenotare oportet. Primum itaque non est confundenda unitas, de qua hic loquimur, cum unitate *praedicamentali*, quae nimirum est de genere quantitatis, quaeque extenus numerica vocatur, quatenus est principium numeri, qui est species quantitatis discretae. Loquimur proinde dumtaxat de unitate *singularitatis*, quam supra declaravimus [331], quaeque dicitur unitas *numerica*, quia constituit *unum*

sine numero, et habet locum etiam in rebus spiritualibus, quo modo ex. gr. anima mea dicitur non solum specificè sed etiam numericè una (1). Est præterea diligenter observandum, in re præsentis duas esse quaestiones, invicem forte connexas, sed formaliter omnino diversas. Altera respicit ipsam *unitatem numericam* diversorum individuum cuiusque speciei *secundum se* consideratam, et, quae inde consequitur, numericam distinctionem unius ab alio. Quid vero sit huiusmodi unitas, supra declaravimus [331]. Solemus eam exprimere pronomine demonstrativo, dicendo ex. gr. *haec humanitas*, ac propterea vocari etiam solet *haecceitas*. Altera vero quaestio est de ipso *principio* seu fundamento, cui immititur praedicta numerica unitas ac distinctio: et sic quaeritur, undenam oriatur, ut in una eademque specie dari possint plura et distincta individua. Aliquid simile contingit etiam in aliis praedicatis essentialibus. Sic de homine praedicatur per identitatem, quod sit substantia *materialis* et *rationalis*, quae proinde praedicata non possunt reipsa distingui nec inter se nec ab homine. Hoc tamen non impedit, quominus ab homine et inter se distinguantur, distinctione reali saltem inadaequata, principia unde haec praedicata exoriuntur; et sic materialitas oritur ex materia, rationalitas ex forma. Confer Suarez (*Metaph.* D. 5. sect. 3. n. 2.). Iam vero minime resolvere intendimus in praesenti secundam quaestionem, quae non differt ab ea, quae tractari solet in *Metaphysica*, cum agitur de *principio individuationis*. Disputamus proinde unice de ipsa numerica unitate for-

(1) Apposite in hanc rem S. Thomas. "Unum in 5. *Metaph.* dicitur quadrupliciter, scilicet numero, specie, genere et proportione. Nec est dicendum, quod aliqua substantia separata sit unum tantum specie vel genere, quia hoc non est esse simpliciter unum. Relinquitur ergo quod quaelibet substantia separata sit unum numero. Nec dicitur aliquid unum numero, quia sit unum de numero; non enim numerus est eatus unus: sed e converso, quia in numerando non dividitur; unum enim est id quod non dividitur." (Opusc. 15. al 16. *De unitate intellectus contra Averroistas*.)

maliter, h. e. *secundum se* considerata, et quaerimus, utrum reale discrimen intercedat inter naturam, secundum quam Petrus ex. gr. constituitur in specie hominis, et singularitatem, qua praedicta natura est haec, et non alia, puta Pauli. Vocamus porro distinctionem realem, quae, citra mentis praecisionem, veram ponit pluralitatem seu compositionem in ipsa re.

THESIS XIX.

Unitas numerica, sive singularitas, qua diversa individua in eadem specie multiplicantur, si formaliter et in se ipsa spectentur, differt quidem a natura specifica in qua conveniunt, nullam tamen efficit realem compositionem cum ea, sed rationis tantum ac virtualem.

362. *Probatum I. pars.* — In hac prima parte concedimus dari aliquam distinctionem naturae a singularitate in individuis, quae multiplicari queunt in eadem specie, quae tamen non sit eiusmodi, ut realis inde habeatur compositio ex utraque in natura singulari. Est porro sermo de ipsa singularitate, non quidem in radice seu fundamento, cui immititur, sed *formaliter et in se ipsa spectata*, ne temere permisceantur binæ quaestiones oppido distinguendae in hac materia, ut ante monuimus. Ratio facile desumitur ex iis quae praemisimus.

I. Ac primo quidem manifestum est aliquid distinctionis genus adesse inter naturam, in qua plura individua eiusdem speciei conveniunt, et numericam eorumdem unitatem, secundum quam invicem distinguuntur sive multiplicantur. Natura quippe specifica, ut in th. XVII. cum Angelico demonstravimus, absolute considerata minime dicenda est singularis, quia nimirum, hoc modo si consideretur, minime ei repugnat ut in plura inferiora

multiplicetur. Contra, prout est individua effecta in hoc vel illo, positive id ei repugnat [331]. Atqui id fieri non posset, si nulla distinctio inesset inter utramque, naturam videlicet specificam eiusdemque singularitatem, ut est notum ex terminis. Quocirca prima rerum causa efficiens, ut suo loco demonstrabimus, non datur nisi unica; cum enim sit ipsum esse per se subsistens, notionem exhibet essentialiter singularem et immultiplicabilem.

II. Quod vero asserta distinctio minime sit realis, ex qua propterea realis exurgat compositio singularitatis cum natura singulari, apertissime colligitur ex iis, quae demonstrata sunt in th. XV. Ibi enim ostensum est non posse ullo modo in dubium revocari distinctionem mutuum individuorum eamque realem et adaequatam. Quare sic argumentor. Si humanitas v. gr. in Petro et Paulo est realiter distincta a sua individuali differentia, *quatenus est sic distincta* vel est una eademque humanitas, vel alia et alia humanitas: non enim fingi potest medium inter haec duo in ordine reali. Si primum dicatur, impossibile est, ut Petrus et Paulus evadant realiter distincti in humanitate, h. e. duo homines, secus ac demonstratum est in thesi citata. Cum enim non possit separari ens a seipso, necesse est, si semel supponatur esse eadem humanitas Petri et Pauli, eadem iugiter permaneat, quocumque superaddito. Sin vero alterum membrum eligatur propositae distinctionis, plane inutiliter fingitur differentia individualis realiter distincta ei superaddi. Ad hoc enim huicemodi differentia superadderetur, ut ipsum eius nomen significet, quo videlicet humanitas Petri fiat distincta realiter ab humanitate Pauli. Atqui, etiam praecisa tali differentia, hae humanitates habentur ut distinctae. Hoc argumento utitur Sylvester Maurus, ut demonstret, omnes rationes genericas et differentiales per seipsas et non per aliquid distinctum evadere singulares, h. e. has et non alias. * Nam, inquit, in mea animalitate ex. gr. non datur duplex ratio distincta ex natura rei, quarum una sit animalitas, alia sit haecceitas, per quam constituitur haec animalitas. Nam ratio animalitatis, quae est

in me, per se ipsam non est idem cum animalitate, quae est in Petro: *nam quod per se ipsum est idem cum alio semper remanet idem quocumque superaddatur*. Sed si per se ipsam non est animalitas Petri, per se ipsam est non eadem ac animalitas Petri, et quaelibet alia animalitas. (*Quaest. Philos.* lib. 1, q. 32, dico 5.) (1)

Vis allatae demonstrationis eludi non potest, nisi fortasse dicatur, naturam Petri et Pauli ex. gr., ut praecisam in re ipsa a differentia individuali, neutrum habere, h. e. nec identitatem, nec distinctionem inter se, sive, (quod in idem recidit), non esse unam nec numericam nec universaliter. Sed hoc effugium iam praecorripimus [352]. Haec enim indifferentia bene intelligi potest in natura secundum statum praecisionis, quem habet ab intellectu: quemadmodum ex. gr. animal, quia tale, nec rationale dici potest nec irrationale. Sed est plane absurdum, ut similis indifferentia inveniatur in re secundum statum, quem habet

(1) Eodem argumento, praeter alia, ad hanc rem ostendam utitur Suarez, sic inquires. * In eadem assertionem (quod scilicet natura non differat realiter ab unitate numerica), necesse est conveniant, qui negant naturas esse a parte rei universales, ut sunt graviores philosophi et theologi, et tota schola D. Thomae. Quod autem unum ex alio consequatur, patet. Quia si in ipsis individuis id, quod addit individuum supra naturam communem, est distinctum ex natura rei ab illa, ergo et o converso ipsa natura in re ipsa praecindit a tali addito seu differentia individuali atque adeo a parte rei natura et haecceitas sunt duo, si non ut duae res, saltem ut res et modus. Ergo unaquaeque earum habet per se unitatem suam, quia non potest intelligi, quod aliqua sint duo, nisi sint unum et unum: numerus enim supponit unitates. Ergo illa natura, ut praecisa a differentia individuali, habet in re ipsa unitatem. Ergo vel unitatem individuaalem vel universalem. Primum dici non potest iuxta praedictam sententiam; alioquin natura esset individua ante differentiam individuaalem et ita superflue talis differentia adingeretur. Ergo iuxta hanc sententiam necessario dicendum est, naturam prout in re ipsa praecindit et ex natura rei distinguatur a differentia individuali, habere unitatem universalem. (*Metaph.* D. 5, sect. 2. n. 9.) Legatur etiam cetera argumenta, quae ibidem in eadem rem adducit Eximius Doctor. Nobis sufficit argumentum allatum, quippe est omnino demonstrativum.

vel habere potest extra mentem. Tales enim differentiae sunt immediate oppositae, ac propterea alterutra necesse est conveniat rei in seipsa, quamvis sine utraque a mente considerari possit. Hinc supra notavimus [335, I.], praedicata intrinseca, quae naturae conveniunt in statu absolutae considerationis, esse quidem realia, sed hunc ipsum statum seu modum absolutae considerationis esse intentionalem et logicum, ac propterea logica censi debere ea praedicata, quae a tali statu proveniunt. Porro talis est indifferentia illa, quam in thesi praecedenti consideravimus, qua nimirum natura dicitur esse nec singularis nec universalis. Sic, ut sistamus in exemplo nuper allato, si considerentur praedicata intrinseca, quae conveniunt *animali*, absolute considerato, nimirum qua tali, ea profecto realia sunt et primae intentionis, puta esse *substantiam corpoream viventem vita sensitiva*. Si vero consideretur indifferentia illa, quae in eo concipitur ad differentiam *rationalitatis et irrationalitatis*, qua videlicet neutrum nec includit nec excludit, haec profecto non est praedicatum animalitati intrinsecum, sed provenit a statu absolutae praecisionis, qua concipitur, ac propterea est praedicatum logicum ac secundae intentionis. Simili modo ratiocinandum est de natura specifica relate ad differentias individuales, quibus in individuis contrahitur. Qua de causa in thesi XVII consulto addidimus, praedicari quidem de re extra mentem posita naturam *quae absolute concipitur, non vero modum quo sic concipitur*.

Instabit fortasse quispiam dicendo, naturam et singularitatem invicem differre, et quidem realiter, sic tamen ut natura se habeat ut *quod*, singularitas vero se habeat, ut *quo*, sicut etiam dicitur in aliis quaestionibus, puta ubi agitur de distinctione inter substantiam et accidens, et inter essentiam et esse. Sed facilis est solutio ex dictis. Potest quidem fortasse haec distinctio deservire, si ageretur de radice seu fundamento, cui innititur numerica unitas seu distinctio in individuis, quae multiplicari possunt in eadem specie; quam quaestionem, ut diximus, in praesenti minime tractamus, cum eius solutio dependeat

ex multis, quae de natura materiae et quantitatis in Metaphysica pertractantur. Sed neutiquam adhiberi potest in re praesenti. Et ratio plana est omnino. Tunc enim duo reipsa distingui possunt hoc modo, cum illud, quod dicitur se habere ut *quod*, secundum se inspectum remanet adhuc indifferens, *potentia reali et physica*, respectu illius, quod dicitur se habere, ut *quo*; sicut contingit in duplici illa quaestione de distinctione inter substantiam et accidens, et inter essentiam et esse, ut suo loco videbitur. Atqui id minime fit in re, qua de agimus, ut manifeste elucet ex ipso argumento, quo usi sumus. Ac generatim loquendo, haberi semper debet ob oculos, quod Angelicus Doctor observat de unitate transcendentali, quae in tres modos dividitur, videlicet in unitatem *formalem, numericam, et universalem*, ut proprio loco explicabitur. * Unaqueque res, ait, est una per suam substantiam. Si enim per aliquid aliud esset una quaelibet res, cum illud iterum sit unum, si esset unum per aliquid aliud, esset abire in infinitum. Unde sistendum est in primo. Sic igitur dicendum est, quod unum quod convertitur cum ente, non addit aliquam rem supra ens. (Summa th. 1. p. q. 11. a. 1. ad 1.) (1)

(1) Egregie in hanc rem Josephus Kleutgen. * La natura di Pietro, per esempio, ait, è perfettamente uguale alla natura di Paolo, in quanto l'una e l'altra è la natura umana; ma la natura di Pietro è diversa da quella di Paolo, in quanto è questa natura, cioè natura di Pietro. Ma perciò non è necessario, che nella medesima natura quello che è comune alla specie, ossia all'essenza, sia realmente diverso da quello, a cui vien determinato dalla singolarità: vale a dire dalla sua individualità, e che la natura singolare sia un composto di amendue. Se fosse così si dovrebbe ammettere la stessa separazione e composizione riguardo all'individualità. O non hanno forse anche le individualità qualche cosa comune a tutte e qualche cosa propria a ciascheduna? In questo modo il separare ed il comporre andrebbe all'infinito. È vero che anche nella dottrina del realismo, ciò si deve concedere intorno ai concetti; ma nel concetto questo è solamente un non finirla, un indefinito, mentre nell'ordine reale sarebbe una separazione ed una unione infinita. (Filos. antica, Tratt. 2. c. 4. n. 178.)

363. *Explicatio II. partis.* — Ex dictis manifestum est, quod ultimo loco in thesi asserimus. Quod ut melius intelligatur, probe notandum est, *compositionem virtuales* in eo esse, quod duo, quamvis in eodem subiecto identificentur, si tamen in propriis rationibus formalibus considerentur, minime se includunt, ac propterea in diversis subiectis seorsum inveniri queunt. Hoc modo gradus, qui vocantur *metaphysici*, se habent. Profecto, si in una eademque re, puta in homine, consideremus *esse, vivere, sentire, intelligere*, (prout scilicet hæc substantialiter et prædicamentaliter accipiuntur), non est alia quidditas quæ est, alia quæ vivit, alia quæ sentit, et alia quæ intelligit, sed prorsus una eademque, ut in *Metaphysica* exproffesso demonstrabimus. Ceterum hæc secundum proprias definitiones non ita sunt connexa, ut ubicunque reperitur una, altera etiam reperitur necesse sit. Quocirca mineralia sunt, tametsi non vivunt: plantæ vivunt, tametsi non sentiunt: bruta sentiunt, tametsi non intelligunt: substantiæ separatae intelligunt, tametsi non sentiunt. Et hæc est causa, quare tale genus compositionis, etsi virtualis dumtaxat, imperfectionem dicit. Propria enim ratio singulorum, quæ sic se habent, tanquam potentiale quid refertur ad aliud, et in se minime dicit totam essendi perfectionem. Hinc nullo modo illud invenire licet in Deo. Attributa quippe divina virtualiter quidem invicem distinguuntur, sed citra ullam compositionem sive realem sive etiam virtuales: quicquid enim est in Deo, conceptum aseitatis; hic vero conceptus totam essendi perfectionem seu nobilitatem includit. Age porro, quod dictum est de gradibus metaphysicis enumeratis, h. e. esse, vivere, sentire, intelligere, locum etiam habet in infimo gradu metaphysico, qui in porphyriana arbore habetur, videlicet in esse *singulari*, in quo tandem subsistunt ceteri gradus superiores specifici vel generici. Quocirca unitas singularitatis cuiusque rei, quæ tandem, uti diximus, coincidit cum unitate transcendentali, *quæ spectatur in ente secundum esse, quod habet in statu reali*, non efficit certe compositionem realem cum natura sin-

gulari, efficit tamen compositionem quandam virtuales, si sermo sit de rebus creatis, quæ in eadem specie multiplicari queunt numericè. Quemadmodum enim potest inveniri substantia animalis, quæ non sit rationalis, sic etiam potest dari humanitas, quæ non sit *mea* humanitas; quare sicut ob prædictam separabilitatem animalitas et rationalitas dicuntur in homine efficere compositionem quandam virtuales, ita etiam ob eandem separabilitatem humanitas, ut sic considerata, in Petro eiusque hæcitas virtuales etiam compositionem merito efficere dicuntur. Solum discrimen, quod ex mente Angelici Doctoris in re præsentis notari debet, in hoc unice consistit, quod *fundamentum* seu *radix*, unde resultat differentia specifica, non est materia sed forma; e converso, differentia individualis in *his*, quæ multiplicari queunt numericè in eadem specie, exurgit non ex forma sed ex materia *quantitate signata*. Quare in doctrina S. Thomæ propterea dantur ac dari possunt plura individua eiusdem speciei, quia diversum ordinem habent ad diversas materias quantitate signatas, ideoque substantiæ separatae, seu Angeli, per suam substantiam individuam, quatenus tot existunt et existere possunt species Angelorum, quot sunt vel esse queunt Angeli. Ceterum, (et hoc apprime notandum est), hic etiam ordo ad materiam est relatio non prædicamentalis seu accidentalis, sed transcendentalis, quæ unum idemque est realiter cum subiecto cui inest. Sed de hæc re plenius alibi, ut ab initio monuimus.

364. *Corollariam.* — *Natura specifica non evadit singularis et individua per existentiam ab ea realiter distinctam.* — Sequitur manifeste ex præcedentibus. Confirmatur præterea alia manifestissima ratione. Esse seu existere prædicatur de rebus creatis non per se, sed per accidens, ob essentialem videlicet contingentiam earundem; idque maxime verum est, si existentia in eis ponatur reipsa ab essentia distingui. Atqui distinctio numerica meae humanitatis ex. gr. ab humanitate Pauli, quod videlicet una non sit alia, non est prædicatum quoddam accidentale, nisi quis velit substantias ipsas

creatas invicem confundere. Praeterea, ut optime argumentatur Suarez: " In ipsamet existentia potest considerari communis ratio existentiae humanae v. gr. et ratio huius existentiae Petri vel Pauli. Ergo de ipsa existentia superest inquirendum per quid fiat haec; non enim ab essentia, cum non supponat illam individuum iuxta hanc sententiam sed communem; neque ab aliquo accidente, ut per se notum est satisque in superioribus probatum; a quo ergo? Si dicas, seipsa fieri hanc, cur non id potiori ratione dices de essentia, cum et ordine naturae sit prior, et perfectione etiam, et cum quodammodo sit magis absoluta? Nam existentia est actus huius essentiae: unde haec existentia potius erit haec, quia hanc essentiam actuali. " (*Metaph.* D. 5. sect. 5. n. 2.) Hinc merito idem auctor oppositam opinionem vocat omnino falsam et improbabilem ac ab omnibus reiectam (1).

SECTIO VIII.

Solvuntur difficultates.

365. **Communis difficultas eiusque solutio.** — Omnino fere deceptio in quaestione, quam versamus, inde maxime nascitur, quod accipiantur quasi distincta in reipsa, quae distinctis conceptibus obiectivis apprehendimus. Hinc enim fit, ut si attendamus ad res, prout in se sunt, cum vi-

(1) Huic tamen opinioni e recentioribus Rosminius adhaerendum esse putavit (*Nuovo saggio sull'origine delle idee*, Sez. 3. c. 2. a. 10. et Sez. 5. p. 2. c. 3.), quem propterea bene refutavit Caietanus Sanseverino (*Philos. Christ. Log.* pars 1. cap. 1. a. 1.). Faciunt etiam contra talem opinionem omnia testimonia S. Thomae, quibus probat vel supponit, ipsum principium seu fundamentum numericae distinctionis inter individua sumi vel ex forma, ut in rebus immaterialibus, vel ex materia, ut in rebus corporeis. Materia autem et forma se tenent ex parte essentiae, ut patet, non ex parte existentiae.

deamus eas esse singulares et individuas, nullam cognitionem obiectorum realium aliqui putaverint nos habere posse, nisi singularium, prout huiusmodi. In hoc decepti fuere Nominales. Contra, si attendamus ad diversos conceptus, quibus apprehendimus tum naturam, in qua individua eiusdem speciei conveniunt, tum propriam uniuscuiusque individuationem, similem etiam distinctionem in re ipsa contingentes, necessario consequens est, ut universalitas, quae ex tali distinctione consequitur, obiectis ipsis extra mentem positis attribuat; et in hoc errarunt Ultra-Reales.

Solvitur haec obiectio distinguendo, ut pluries diximus, id, quod concipimus et mente distinguimus, a modo et distinctione, qua concipimus, neque oportet, ut ex eo, quod primum obiectivum sit et reale, continuo id etiam asseratur de altero [334]. Hinc Suarez in simili quaestione generatim observat in argumentis adversariorum " esse magnam aequivocationem argumentando a ratione obiectiva, ut praecisa ab intellectu, ad illam prout est in re, et attribuendo rebus ipsis quod solum per denominationem extrinsecam convenit rationibus conceptis ac praecisis, ut sunt sub tali consideratione ac praecisione intellectus. Et hoc est maxime considerandum in his omnibus argumentationibus; quae solum in modo loquendi et concipiendi fundantur. Nos enim, sicut concipimus, ita loquimur: unde sicut conceptus nostri, etiamsi veri et non falsi sint, non tamen semper sunt adaequati rebus ipsis, ita etiam voces sunt adaequatae conceptibus nostris, et ideo cavendum est, ne modum concipiendi nostrum transferamus ad res ipsas, et propter diversum loquendi modum existimemus esse distinctionem in rebus, ubi vere non est. " (*Metaph.* D. 2. sect. 4. n. 12.)

366. **Difficultates Nominalium.** — Speciatim vero Nominales sic obiciunt.

Obiectio I. — Quod, ut tale, neque existit, neque existere potest, et tamen a mente concipitur, est merus conceptus mentis ac flatus vocis. Atqui universale, quae tale, neque existit, neque existere potest.

Respondeo. *Dist. mai.* Si non existat aut existere possit, neque quoad rem conceptam, neque quoad modum concipiendi, idque neque actu, neque fundamentaliter, *conc.*; secus, *neg.* *Contrad. minorem.* Atqui universale, qua tale, neque existit, neque existere potest, quoad naturam ipsam, quae universaliter concipitur, *neg.*; quoad modum universalitatis, qua concipitur, *subd.*; neque actu neque fundamentaliter, *neg.*; non existit neque existere potest actu, existit tamen aut existere potest fundamentaliter, *conc.* Responso patet ex dictis.

Obiectio II. — Si mens conciperet rem singularem sub forma universali, eam conciperet aliter ac est, ac propterea eius cognitio esset a suo obiecto difformis. Atqui talis concipiendi modus non est sine fictione et falsitate.

Respondeo. *Dist. 1^{am} partem maioris.* Si per iudicium affirmaret de re, quam concipit, modum ipsum universalitatis, qua concipit, *conc.*; si talis affirmatio non intercedat, *neg.* *Dist. 2^{am} partem.* Eius cognitio esset a suo obiecto difformis negative, *conc.*; positive, *neg.* *Contrad. pariter minorem.*

Etsi verissimum illud est, inadaequate concipi obiectum quod universaliter a mente apprehenditur; cognitio quippe adaequata seu comprehensiva attingit rem distincte secundum omnia, quae et qua sunt ei propria: hic tamen inadaequatus concipiendi modus, quamdiu non affirmetur de re ipsa, prout in se est, nullam positivam difformitatem inducit cognitionem inter eiusque obiectum, in qua sola difformitate consistit falsitas, quemadmodum ante declaravimus [247]. Apposite rursus Angelicus Doctor: "Licet principia speciei vel generis numquam sint, nisi in individuis, tamen potest apprehendi animal sine homine, asino, et aliis speciebus; et potest apprehendi homo, non apprehenso Socrate vel Platone; et caro, et ossa, et anima, non apprehensio his caribus et his ossibus; et sic semper intellectus formas abstractas, id est superiora, sine inferioribus intelligit. Nec tamen falso intelligit intellectus: quia non iudicat hoc esse sine hoc,

sed apprehendit et iudicat de uno, non iudicando de altero." (Op. 40. al. 43. *De potentis animae*, c. 17.)

Obiectio III. — Universale definitur *unum* in pluribus, h. e. divisim et identice. Atqui talis definitio membra invicem pugnancia complectitur. Ergo ipsamet definitio universalis est contradictoria, ac plane conficta.

Respondeo. *Conc. mai.* *Dist. min.* Si praedicta unitas ac pluralitas eodem modo haberetur, *conc.*; si diverso modo, *neg.* Ut scite animadvertit S. Thomas ex doctrina Philosophi (1. *Phys.* lect. 4.), non est inconveniens *unum esse multa*, quando utrumque non eodem modo accipitur, sed alterum in actu, alterum vero in potentia, ut patet in toto, quod unum est actu, plura vero in potentia, iam vero sic se res habet in praesenti. Si enim universale accipitur, prout est in mente, puta homo abstracte conceptus, est quidem unum in actu intellectualis abstractionis, quatenus unico obiectivo conceptu continetur: multiplex vero potentia, quatenus in pluribus individuis realiter distinctis inesse potest. Contra, si accipitur ut est in rebus, est actu multiplex, quippe non existit neque existere potest homo, prout huiusmodi, sed homines: hi tamen sunt potentia *homo*, quatenus abstractione mentis concipi potest id in quo conveniunt, neglectis notis individuantibus, quibus differunt, atque ita sub unica humanitatis ratione a mente accipi possunt. Quoniam vero unumquodque eatenus actu est, in quantum est unum; unitas autem propria universalis habetur actu in mente, potentia vero extra mentem: hinc universale, qua tale, recte dicitur actu esse in mente, potentia vero in rebus.

Obiectio IV. — Ex dictis patet conceptus universalitatem fundari in similitudine individuorum. Ergo ad huiusmodi conceptum habendum opus esset, comparentur ad invicem omnia individua, quae eidem universali conceptui substant. Id porro est plane impossibile.

Respondeo. *Dist. antec.* quatenus haec similitudo debeat reipsa existere vel existere posse inter individua eiusdem speciei, *conc.*; quatenus huiusmodi similitudo debeat insuper a mente cognosci, *subd.*; quo habeatur conceptus

universalis, *neg.*; quo haec universalitas cognoscatur, *rursus dist.*; et ad hoc requiritur ut enumerentur omnia individua, in quibus natura universaliter concepta multiplicatur, *neg.*; et ad hoc sufficit, ut concipiatur ita inveniri posse in uno individuo, ut huic non repugnet habere alia sibi specifice similia, *conc.*

Ut ante notavimus [360], aliud est universale prout huiusmodi, aliud vero cognoscere hanc universalitatem. Ac similiter non est idem plura individua similem habere essentiam, ac talem similitudinem a mente cognosci (1). Iam vero, ut obiectum formam universalitatis induat, plane sufficit directa praecisione mentis concipiatur aliqua natura, quae sit huiusmodi, ut multiplicari possit in pluribus specifice similibus. Comparatio autem naturae sic abstractae ad sua individua requiritur, non quidem ad constituendum universale, sed ad universalitatem iam effectam cognoscendam. Patet autem, talem comparationem minime postulare, ut singillatim enumerentur omnia individua, quae in eadem specie multiplicari possunt: potest enim sine tali enumeratione, quae ceteroquin est plane impossibilis, apprehendi vera multiplicatio naturae in pluribus existentis, praescindendo quot haec plura sint ad esse queant.

Obiectio V. — Impossibile est, ut differentia individualis sit aliquid reale superadditum praeter naturam specificam, etsi dicatur sola ratione distinctum. Ergo nequit natura sine tali differentia concipi, citra mentis fictionem. *Prob. anteced.* Nam hoc superadditum vel esset quid accidentale, vel essentialiter. Non primum, quia sic individua distinguerentur invicem in solis accidentibus, non vero in ipsa essentia seu substantia. Non secundum, quia tunc individua eiusdem speciei essentialiter invicem differrent, quod contradictionem in ipsis terminis implicat: si enim essentialiter differunt, ergo non sunt eiusdem speciei.

(1) Confer quae supra expresse notavimus sub n. [359].

Respondeo. *Nego antec.* Ad probationem concedo differentiam esse aliquid essentialiter naturae cuiusque individui. Ad illud vero quod additur, nimirum inde fore consequens, ut individua eiusdem speciei differant essentialiter invicem, *dist.*; quatenus habent essentiam *distinctam, conc.*; quatenus habent essentiam non modo *distinctam*, sed etiam *diversam*, cuiusmodi sunt ea quae genere conveniunt, specie vero differunt, *nego.*

Allata difficultas captiosa est; procedit enim ex confusione duorum conceptuum, qui sunt certe quidem affines, at differunt oppido. Sunt nempe conceptus *distinctionis* et *diversitatis*, quorum primus opponitur *identitati*, alter vero *similitudini*. Iam age, quae numerice tantum distinguuntur, habent utique *distinctam* essentiam, sed plane similem: contra, quae specie differunt, habent essentiam non modo *distinctam* sed *diversam*. Quocirca ex eo quod differentia individualis huius humanitatis, puta Petri, sit aliquid ei intrinsecum, immo cum ea reipsa identificatum, fit utique, ut ea alia sit ab humanitate Pauli, sed haec alietas bene consistere potest cum perfecta utriusque similitudine, quae est propria individuorum eiusdem speciei. Sermo est, ut patet, de essentia dumtaxat; si enim spectentur accidentia, quae insunt unicuique individuo, et quibus plerumque solemus unum ab altero secerere, ea profecto diversa sunt, immo saepe contraria, nedum distincta. Egrege in hac re Sylvester Maurus. "Dum dicimus quod plures homines non differunt in natura, sensus est solus, quod non sunt dissimiles in natura, non autem est sensus, quod non distinguantur in natura, cum vere naturae plurium hominum distinguantur non minus quam homines habentes talem naturam. Ergo solum potest inferri, quod plures homines habeant in natura unitatem quamdam similitudinis, quam omnes concedimus; non autem, quod habeant unitatem exclusivam distinctionis, quam solum negamus." (*Quaest. Phil.* lib. 1. q. 28. ad 2.)

367. Difficultates Ultra-Realium. — Ut Nominales, quod iam notavimus, obiectivas rationes naturae ac singularitatis etiam in conceptu permisceant, sic e converso

Ultra-Reales eas in re ipsa disiungere nituntur. En praecipua eorum argumenta.

Obiectio I. Posita reali identitate inter naturam humanam, eiusque numericam unitatem, qua v. g. in Petro contrahitur, dicendum foret, id per quod Petrus est *hic homo*, esse idem atque id, per quod est *homo*, quod tantumdem est ac si dicitur *Petrus esse hic homo, quia homo*. Atqui id nulla ratione dici potest. Sicut enim propter similem rationem divinitas est immultiplicabilis, ita multiplicari etiam non posset humanitas, et sic non daretur nisi unicus homo Petrus.

Respondeo. *Nego maiorem*. Ut paulo ante notavimus [366], et in ipso limine Logicae declaravimus [32], verba exteriora significant quidem res conceptas, non tamen materialiter prout in se sunt, sed secundum obiectivum conceptum, quo in mente subsistunt. Quocirca, ad veritatem inductae propositionis causalis, qua dicitur *Petrus fore hic homo, quia homo*, non sufficit mera identitas realis inter id, per quod est homo, et id, per quod formaliter est hic homo; sed necessaria est insuper identitas inter obiectivam rationem utriusque. Et hoc modo recte omnino procedit demonstratio, qua ab omnimoda identitate sive reali sive rationis, quae habetur naturam inter divinam eiusque singularitatem, colligitur non dari neque esse possibiles plures Deos, ut opportuniori loco demonstrabitur, et paulo superius [362] indicavimus. Porro id minime contingit in re praesenti, ut satis superque declaravimus. Praeterea si valeret hic ratiocinandi modus, qui in allata obiectione adhibetur, posset etiam instaurari quoad gradus sive *genericos* sive *analogos*. Nempae quemadmodum Petrus non est hic homo, quia homo, ita homo non est profecto *rationalis, quia animal*: secus non daretur, nisi animal rationale. Hinc vero minime concludere licet distinctionem realem intercedere inter hominis humanitatem eiusque rationalitatem. Rursus, substantia quaevis creata ex sua generica ratione substantiae non est haec potius quam alia, puta organica vel inorganica. Deducemus ne propterea rationem substantiae esse reali-

ter distinctam in homine ex. gr., a differentiis quibus usque ad speciem humanitatis contrahitur; ac propterea huiusmodi differentias non esse nisi accidentia? Minime sane. Immo si quis ulterius haec urgere vellet, id tandem obtinebit, ut in rebus realem distinctionem agnoscat inter rationem ipsam *entitatis* et modos, quibus ea contrahitur in suis inferioribus. Non enim homo ex. gr. ideo est substantia, vel corpus, vel animal, vel homo, quia ens. Hoc vero nulla ratione dici potest: ens enim non contrahitur per nihilum.

Obiectio II. — Impossibile est, si de rebus creatis agatur, ut unum idemque praedicetur de multis ita ut unumquodque sit ipsum. Atqui si essentia identificetur realiter cum singularitate formaliter inspecta, tunc idemque praedicaretur de multis, et unumquodque eorum esset ipsum, sicut praedicaretur essentia hominis de Petro, Paulo, et Francisco.

Respondeo. *Dist. maiorem*, si praedicatum sit unum idemque secundum rem, *concl.*; si sit eiusmodi secundum considerationem mentis, *neg. Contrad. min.*

Unitas seu identitas secundum naturam quae est inter plura individua eiusdem speciei, minime est secundum rem, tametsi fundamentum in re habet, sed solum secundum considerationem mentis, prout nimirum plura adunantur in *uno eodemque* conceptu, qui refert essentiam, seclusis conditionibus individuantibus. * Humanitas, ait S. Thomas, sive communitas humanae naturae non est secundum rem sed solum secundum considerationem. Unde iste terminus homo non supponit pro natura communi, nisi propter exigentiam alicuius additi: ut eum dicitur, *Homo est species*. Sed forma significata per hoc nomen, *Deus*, scilicet essentia divina, est una et communis secundum rem. Unde per se supponit pro natura communi, sed ex adiuncto determinatur eius suppositio ad personam. (Summa th. 1. p. q. 39. a. 4.) (1) Quare cum

(1) Distinctionem loco citato traditam a S. Doctore expresso et egregie declarat S. Joannes Damascenus (*De Fide Orthod.* lib. 1. c. 8.).

dicitur *eadem* essentia in pluribus individuis, haec identitas vel intelligenda est de natura, prout abstractione mentis a differentia sua individuali praescinditur, vel intelligi etiam potest de convenientia similitudinis, quae intercedit inter individua, quaeque extenso nomine saepe vocatur identitas, quia videlicet praebet fundamentum identitatis specificae, quae abstractionem consequitur. Neque obstat, quod humanitas, praeter individualementem, unitate etiam *formali* gaudeat, non solum in mente, sed etiam extra mentem. Quemadmodum enim multiplicatur reipsa humanitas extra mentem, ita etiam ipsa *formalis* eiusdem unitas reipsa multiplicatur. Apposite Josephus Kleutgen. "Le cose della medesima specie non vengono moltiplicate in maniera, che la medesima essenza secondo il numero cominci ad esistere in più individui: ma sibbene, perchè più cose vengono all'esistenza, le quali pienamente uguali quanto all'essenza, si diversificano quanto all'individualità. Quindi tanto l'essenza, quanto l'individualità vengono moltiplicate, e le cose hanno un'essenza uniforme piuttosto che una. Il perchè nella realtà le cose della medesima specie hanno una reale molteplicità; e però hanno tra loro la relazione di uniformità, ma non di unità. Questa non la ricevono che nella mente conoscente." (*Filos. antica*, Tratt. 2. c. 4. n. 171.) Lege etiam Sylvestrum Mauro (*Quaest. Philos.* lib. 1. q. 28.).

Instabis. Si ita res haberet, in his duabus propositionibus: *Petrus est homo, Paulus est homo*: praedicatum *homo* significaret omne id, quod est in Petro, et omne id quod est in Paulo. Ergo terminus homo esset aequivocus, non univocus, cum Petrus differat a Paulo.

Respondeo I. Hoc argumento, si valeret, probari distinctionem realem non modo inter essentiam eiusque differentiam individualementem, sed etiam inter gradus genericos ac differentias specificas. Quemadmodum enim homo dicitur univocae de pluribus hominibus, ita *animal* ex. gr. dicitur univocae de homine et bruto.

Respondeo II. *Dist. antec.* Si spectetur praedicatum *homo* in suo significato *materiali, conc.*; si spectetur *for-*

male significatum eiusdem, *neg.* Et sub data *dist. neg. consequ.*

Etiam haec instantia procedit ex communi aequivocatione, quae in hac materia committi solet, quia videlicet transfertur ad rem, prout in se est, ipsemet modus, quo apprehenditur mente, aut voce significatur. Quocirca revocare oportet in memoriam, quod initio diximus [9], nimirum, ut in conceptu, item in voce, qua exprimitur, duplex significatum esse distinguendum pro duplici modo, quo eius obiectum spectari potest. Si enim consideratur res ipsa, pro qua supponit, prout in se est, habetur obiectum seu significatum materiale conceptus seu nominis. Formale vero significatum est ipsamet intentio seu ratio obiectiva, sub qua talis res a conceptu vel nomine exprimitur. Porro univocatio nominis vel conceptus minime sane postulat identitatem in materiali significato; secus nulla possibilis esset univocatio, quippe quae pluralitatem exposcit in iis, quae univoca dicuntur. Sufficit identitas seu uniformitas in intentione seu ratione obiectiva significata [28]. Id vero habetur in voce *homo* respectu individuorum, sicut in ceteris nominibus genericis respectu specierum. Hoc modo S. Thomas solvit obiectionem, quae inducitur ad probandum Christum Dominum non fore univocae hominem cum ceteris hominibus, si divina esset hypostasis. "Aequivocatio, ait, inducitur ex diversa forma significata per nomen, non autem ex diversitate suppositionis. Non enim hoc nomen *homo* aequivoce sumitur ex eo quod quandoque supponit pro Platone, quandoque pro Socrate. Hoc igitur nomen *homo*, de Christo et de aliis hominibus dictum, semper eandem formam significat, scilicet naturam humanam; unde univocae praedicatur de eis. Sed suppositio tantum variatur in hoc, quod secundum quod pro Christo sumitur supponit hypostasim increatam; secundum vero quod pro aliis sumitur, supponit hypostasim creatam." (*4. Con. Gent.* c. 49.)

Instabis rursus. Humanitas potest esse sine differentia individuali, qua contrahitur ex. gr. in Petro, et revera sic est in Paulo. Atqui distinguuntur realiter, quae

sunt separabilia. Ergo humanitas reipsa distinguitur a differentia individuali.

Respondeo. *Dist. maiorem.* Si spectetur humanitas, ut est per intellectum praecisa, *conc.*; si spectetur secundum rem, *subd.*; in uno eodemque individuo, nimirum ita ut illa ipsa humanitas, secundum quam Petrus v. gr. est homo, possit esse sine numerica unitate eiusdem Petri, *neg.*; in diversis individuis, quatenus scilicet in Petro sit humanitas sine differentia individuali alterius individui, puta Pauli, *conc.* *Dist. vero minorem.* Distinguntur realiter, quae sunt separabilia secundum rem, *conc.*; quae sunt separabilia per mentis operationem seu praecisionem, *neg.* *Dist. pariter consequens.* Ergo humanitas distinguitur realiter a differentia individuali, si haec spectetur in diversis individuis, *conc.*; si spectentur in uno eodemque, *nego.*

Obiectio III. — Quod natura finita multiplicari possit, convenit ei ex intrinseca sua ratione, quia nempe est materialis vel finita (1). Atqui multiplicabilitas eiusdem naturae constituit obiecti universalitatem. Ergo haec universalitas convenit naturae ex se, non ex mentis operatione.

Respondeo. *Dist. maiorem.* Si sermo sit de multiplicabilitate secundum similitudinem plurium individuum in natura, *conc.*; si sermo sit de multiplicabilitate proprie tali, videlicet unius eiusdem, quod in pluribus esse queat identitae et divisim, *subd.*; convenit naturae finitae ex in-

(1) Consulto hanc disunionem adhibemus, ob duplicem celebrem sententiam, quae habetur de principio *individuationis*, praecise, ut diximus, in metaphysica speciali resolvi debet. Sunt enim, qui cum Doctore Angelico (*Summa th.* 1. p. q. 50. a. 4.) censent non dari multiplicationem substantiarum *pure numericam*, nisi in rebus, quae vel materia constant vel ad materiam naturaliter ordinantur [363 fn.]. Alii contra Doctores existimant huiusmodi multiplicationem in sola divina natura repugnare, atque adeo dari posse, immo de facto existere, substantias finitas pure spirituales, puta Angelos, quae numero quidem differant, sed non specie. Confer Comment. in art. proxime cit. Doctoris Angelici.

trinseca sua ratione, potentia et fundamentaliter, *conc.*; actu et formaliter *neg.* *Contrad. pariter minorem et consequens.* Responsum expresse declaravimus in probatione thesisi XVIII, et n. praeced. obiect. V.

Obiectio IV. — Nequit unum idemque esse fundamentum contrariorum. Atqui id accideret posita identitate reali inter naturam eiusque differentiam numericam. Nam una eademque entitas esset in Petro fundamentum similitudinis, quae convenit cum Paulo, et distinctionis, quae a Paulo differt. Atqui haec duo videntur contraria.

Respondeo. *Nego ultimam minorem.* Apposite Suarez. " Si distinctio et convenientia sint diversorum ordinum, non repugnat in eodem fundari: sic enim una non involvit negationem alterius, immo quodammodo illam requirit. Ita vero est in praesenti; nam distinctio est realis, convenientia autem secundum rationem tantum, et ideo non repugnat, ut duo simplicia, quae secundum rem sunt realiter primo diversa, secundum rationem habeant unitatem fundatam in reali similitudine vel convenientia, quam inter se habent. Ea enim, quae in re diversa sunt, in eo ipso in quo distinguuntur, possunt esse similia: quin potius similitudo intrinsece postulat distinctionem secundum rem cum aliqua unitate rationis seu formali aut fundamentali; nam idem proprie non est sibi ipsi simile. " (*Metaph.* D. 2. sect. 4. n. 16.)

Obiectio V. — S. Thomas non uno in loco videtur agnoscere distinctionem, eamque realem, saltem inadaequatam, inter substantiam particularem rei materialis, eiusdemque naturam. Speciminis gratia sint ea, quae S. Doctor habet (*Summa th.* 1. p. q. 3. a. 3., 3. p. q. 2. a. 2., 1. *Cont. Gent.* c. 21., Qq. Disp. *De Potentia*, q. 9. a. 1., 3. *Dist.* 5. q. 1. a. 3., 7. *Metaph.* lect. 2. in fine).

Respondeo, in locis adductis evidenter sermonem esse non de natura *numerice una* sed de *substantia particulari*, quae ab Aristotele et ceteris scholasticis vocatur substantia *prima* seu *suppositum* [77, 331]. Iam vero non dubium est, quin distinctio realis inadaequata inter na-

turam creatam eiusque suppositum tuto sustineri queat, quemadmodum videtur expresse docere S. Thomas in festim. cit., prout in Metaphysica plenius declarabimus. At enim inmaane discrimen interest inter substantiam particularem hoc sensu acceptam, et naturam *numericè unam*, quae naturae universali opponitur, de qua in tota hae disputatione unice sermo est. Huius rei exemplum inculentissimum suppeditat catholica fides in Christo Domino, cuius humanitas est quidem *numericè una*, quin sit suppositum, seu substantia prima. Quamobrem Doctor Angelicus cum proposuisset ipse sibi sequentem obiectionem (4. *Contra Gentiles*, c. 40.): “Hic homo, qui est Christus, prout consideratur ex anima solum et carne consistens, est quaedam substantia. Non autem universalis. Ergo particularis; ergo est hypostasis:”, sic dilucide respondet (1. c. cap. 49): “Manifestum est enim, quod hic homo, qui est Christus, substantia quaedam est, non universalis, sed particularis; et hypostasis quaedam est, non tamen alia hypostasis, quam hypostasis Verbi, quia humana natura ab hypostasi Verbi assumpta est, ut Verbum subsistat tam in humana natura, quam in divina; id autem quod in humana natura subsistit est hic homo; unde ipsum Verbum supponitur cum dicitur *hic homo*. Sed si quis eandem obiectionem ad humanam naturam transferat, dicens eam esse substantiam quamdam, non universalem, sed particularem, et per consequens hypostasim, manifeste decipitur. Nam humana natura, etiam in Socrate et Platone, non est hypostasis, sed id, quod in ea subsistit hypostasis est. *Quod autem substantia sit et particularis, non secundum illam significationem dicitur, quia hypostasis est particularis substantia*. Substantia enim secundum Philosophum dicitur dupliciter, scilicet de subiecto in genere substantiae, quod dicitur hypostasis, et de eo quod quid est, quod est natura rei. Sed neque partes alicuius substantiae sic dicuntur particulares substantiae, quasi sint per se subsistentes, sed subsistunt in toto; unde nec hypostases possunt dici, cum nulla earum sit substantia completa; alias sequeretur, quod in uno ho-

mine tot essent hypostases quot sunt partes. Huc usque S. Thomas. Id ipsum animadvertit (*Summa th.* 3. p. q. 2. a. 2. ad 3.), ubi expresse loquitur de *singularitate* humanitatis Christi Domini, quae certissime alia est a singularitate Verbi (1). Idcirco cum S. Doctor assertit intercedere distinctionem realem inadaequatam inter suppositum et naturam creatam, non est hic sensus, quod natura *una eademque secundum rem* subsistat in pluribus individuis; quod quidem distinctionem ipsam individuorum, ac naturae multiplicationem, universalitatemque de medio auferret, sed sensus est, quod in supposito, puta Socrate, praeter naturam singularem, seu *numericè unam*, sunt plura alia, puta esse et accidentia, quae non ingrediuntur eius definitionem, quod certe verissimum est.

Instabis. S. Doctor (*Summa th.* 1. p. q. 86. a. 1.), et alibi multoties expresse assertit naturam eo ipso fieri universalem, quod per operationem mentis praescinditur a materia signata seu individuali. Atqui materia signata in substantiis corporeis distinguitur realiter inadaequate a natura earundem, quippe quae praeter materiam dicit formam. Ergo saltem in materialibus substantiis, distinguitur realiter naturam, ac naturae singularitatem prout singulare universali opponitur.

(1) Singularitas humanitatis assumptae alia est a singularitate Verbi assumptis, non solum si formaliter in se ipsa spectetur, verum etiam si inspicatur radix seu fundamentum, cui ex mente Aritmetica ipsa innititur. Si enim formaliter consideretur, reipsa non differt ab ipsa natura humana Christi Domini, ut dictum est: Verbum autem non est humanitas, tametsi verissime sit homo. Quod si alio modo spectetur, h. e. in radice unde pullulat, haec ex doctrina S. Thomae, ut supra [363] monuimus, est *materia quantitate signata*, quae quidem profecto minime est Verbum. Neque dicat, utramque naturam, divinam et humanam, uno eodemque esse subsistere in Christo Domino. Non enim inde fit consequens, ut propterea una eademque etiam asseratur utriusque naturae numerica unitas sive singularitas, ut supra demonstravimus [364], quippe hoc tantumdem valeret ac utramque naturam perimere, nedum confundere.

Resp. *Concedo maiorem et minorem ac nego consequentiam.* In hac obiectione manifeste confunduntur duae quaestiones, quas ante [361] probe distinximus. In articulo enim, qui citatur, aliisque consimilibus S. Thomas expresse loquitur de *principio seu fundamento*, cui inni- titur numerica unitas ac distinctio in rebus materialibus, eiusque sententia est ac plurimum aliorum, tale funda- mentum esse revera materiam quantitate signatam, quae sine dubio realiter distinguitur, adaequate quidem a forma, inadaequate vero a composito; et consequenter verum erit dicere in tali sententia, principium numericae uni- tatis ac distinctionis rerum materialium distingui realiter, inadaequate saltem, ab essentia earumdem. Nos contra non hanc quaestionem hoc loco pertractamus, cum ad eius resolutionem multa praesupponere oporteret ex dis- putationibus metaphysicis de natura corporea; sed unice sermonem instituimus de ipsa numerica unitate ac dis- tinctione *secundum se et formaliter* inspecta, quam nulla ratione sustineri potest esse realiter distinctam ab essentia individui, quin de medio auferatur realis adaequata dis- tinctio individuum inter se, quod plane repugnat. Et ut exemplo res manifestetur, si quaeratur, per quid *for- maliter* anima mea est haec, et non alia, puta anima Francisci, non dubium est, quin id sit ipsamet eius sub- stantia; secus animae humanae non distinguerentur adae- quate ad invicem. Sin vero quaeratur, quid in causa est, cur fieri possit, ut dentur plures animae numerice distin- ctae ad invicem, respondere oportebit ex mente S. Tho- mae, huiuscemodi causam esse ipsam materiam quanti- tate signatam, quae utpote divisibilis in partes eiusdem rationis consistere potest corpora numerice distincta, ad quae ordinem habeant distinctae animae, utpote formae substantiales eorumdem. Quocirca intellectus *abstrahendo a tali materia*, videlicet ab ea, ad quam ordinem dicit anima haec, puta Francisci, abstrahit *consequenter ab hoc ipso ordine*; et sic concipit animam universe et gene- raliter.

Instabis rursus. Caietanus in commentario, quem

edidit, ad opusculum S. Thomae *De Ente et Essentia*, haec habet in proemio " Apud S. Thomam 1. p. q. 3. a. 3. in rebus materialibus natura et singularitas distin- guuntur *realiter* ..

Respondeo, S. Thomam in citato articulo, ut dixi- mus, et patet legenti, aperte loqui dumtaxat de substantia singulari prima seu *supposito* atque etiam de *principio* seu *fundamento* numericae distinctionis in rebus materialibus; et hoc sensu concessimus ex mente S. Doctoris utrumque realiter, inadaequate saltem, distingui a natura materiali, forma nempe vel composito. Quocirca hoc modo intel- ligere seu interpretari licet pronuntiatum, quod ex Caietani opusculo profertur ab obiectione, praesertim cum in eodem commentario, initio capitis tertii, expresse approbretur dictum Comment., quod Sortes videlicet sub- stantialiter sumptus nihil aliud est, quam animalitas et rationalitas, quae sunt quidditas eius: *Sorteitas enim, Caietanus addit, quae naturam Sortis nominat, eodem modo est animalitati et rationalitati.* Memineris etiam, cita- tum commentarium a Caietano fuisse exaratum dum *adhuc adolescentiam ageret*, ut ipse fatetur in fine.

SECTIO IX.

Quaestiones ceterae huc spectantes breviter perstringuntur.

368. Ne in hac materia, quae tanti momenti est, aliquid desit, quod adolescentium mentes ad perfectam eius in- telligentiam iuvare possit, resoluta praecipua quaestione, quae in hac disputatione in controversiam adducebatur, in hac postrema sectione nonnulla breviter expoliemus, quae ex iis, quae dicta sunt, facile intelliguntur, et dubi- tationibus quibusdam solvendis inserviunt hac in re fieri solitis.

Quaer. I. — Quo pacto universale dici debeat aut possit ens rationis.

Respondeo, id profecto minime esse intelligendum neque de ipsa natura, quae per directam mentis operationem ab individuis abstrahitur, neque de ipsa intentione seu ratione universalitatis fundamentaliter considerata. Utrumque enim reale est, et omnem intellectus operam antevertens. Quare intelligi potest solummodo de ipsa *universalitate* formaliter considerata, prout *actu* inest naturae intellectae. Id enim habetur in natura, secundum quod per mentis operationem abstrahitur, ex qua abstractione innascitur aptitudo essendi in multis, quae naturae universalitatem constituit. Quod si ulterius quaeratur, num dici debeat *relatio rationis* nec ne, facile id concedi potest, modo istiusmodi relatio concipiatur ad instar illius, quam habet ad effectum aptitudo causae vel ad formam aptitudinis materiae; quod genus relationis non exigit terminum existentem sed tantum possibilem, ideoque datur in natura abstracta priusquam inferiora in intellectu existant per comparisonem. Quocirca supra diximus [360], universalitatem sola mentis abstractione constitui, comparisonem vero naturae abstractae ad inferiora deservire quidem, ut universalitas cognoscatur, minime vero ut in esse constitutur.

369. Quaer. II. — Qua ratione universalia dicuntur necessaria, aeterna, et ubique.

Respondeo, necessitatem, quae universalibus attribuitur, eandem plane esse, quae dicitur de natura absolute considerata. Natura enim, sic inspecta, ea tantum praedicata continet, quae per se ac proinde necessario ei conveniunt. Haec porro necessitas est necessitas connexionis praedicati cum subiecto, quae in ordine quidem intelligibilitatis absoluta est, hypothetica vero in ordine existentiae realis, ut opportuniori loco plenius declarabimus. Quod attinet vero ad duas alias proprietates, quae universalibus tribuuntur, pro eo quod dicuntur esse *semper et ubique*, paucis id ita exponit Angelicus. * Aliquid esse semper et ubique potest intelligi dupliciter. Uno

modo, quia *habet in se*, unde se extendat ad omne tempus, et ad omnem locum, sicut Deo competit esse ubique et semper. Alio modo, quia *non habet in se*, quo determinetur ad aliquem locum vel tempus: sicut materia prima dicitur esse una, non quia habet unam formam, sicut homo est unus ab unitate unius formae, sed per remotionem omnium formarum distinguentium. Et per hunc modum quodlibet universale dicitur esse ubique et semper, in quantum universalia abstrahuntur ab hic et nunc. Sed ex hoc non sequitur, ea esse aeterna, nisi in intellectu, si quis sit aeternus. (Summa th. 1. p. q. 16. a. 7. ad 2.)

370. Quaer. III. — Utrum universalia sint ingenerabilia et incorruptibilia?

Respondeo affirmative. Id porro verum est pro eo quantum consideratur ipsa natura, cui accidit intentio universalitatis. Haec enim est natura per se spectata. Naturae autem sic inspectae attribui non potest, quod generetur vel corrumpatur: generatio enim et corruptio attribuuntur naturae ratione individuorum, in quibus invenitur. Unde dici solet, *Homo nascitur vel moritur, quia nascitur vel moritur Petrus vel Paulus.*

371. Quaer. IV. — Num universalia sint priora quam singularia?

Ad hanc quaestionem sic respondet Doctor Angelicus. * Universale dupliciter potest considerari. Uno modo, secundum quod natura universalis consideratur simul cum intentione universalitatis. Et cum intentio universalitatis, (ut scilicet unum et idem habeat habitudinem ad multa), proveniat ex abstractione intellectus, oportet quod secundum hunc modum universale sit posterius. Unde in libro 1. *De Anima* dicitur, quod *animal universale aut nihil est, aut posterius est.* Sed secundum Platonem, qui posuit universalia subsistentia, secundum hanc considerationem universale esset prius, quam particularia, quae secundum eum non sunt nisi per participationem universalium subsistentium, quae dicuntur *ideae*. Alio modo potest considerari, quantum ad ipsam naturam, scilicet animalitatis vel humanitatis, prout invenitur in particularibus.

Et sic dicendum est, quod duplex est ordo naturae. Unus secundum viam generationis et temporis; secundum quam viam ea, quae sunt imperfecta et in potentia sunt priora: et hoc modo magis commune est prius secundum naturam. Quod apparet manifeste in generatione hominis et animalis: nam prius generatur animal, quam homo, ut dicitur in lib. de Generat. animalium. Alius est ordo perfectionis sive intentionis naturae, sicut actus simpliciter est prior secundum naturam, quam potentia, et perfectum prius quam imperfectum. Et per hunc modum minus commune est prius secundum naturam, quam magis commune; ut homo quam animal. Naturae enim intentio non sistit in generatione animalis, sed intendit generare hominem. (Summa th. 1. p. q. 85. a. 3. ad 1.)

372. Quaer. V. — Utrum rationes universales, prout in abstracto signantur, puta humanitas, animalitas, rationalitas, praedicari possint de concretis, vel etiam mutuo inter se, sic nimirum ut dicatur ex. gr. Homo est humanitas, vel Humanitas est animalitas, atque ita porro.

Respondeo negative. Ad cuius rei intelligentiam revoca in memoriam quod suo loco [49] notavimus de duplici significato termini concreti, materiali scilicet et formali. Ibidem etiam animadvertimus, non eodem modo utrumque a termino concreto significari. Significat nempe formam determinate ac distincte: rem vero cui talis forma inest significat confuse et indistincte, quatenus denotat quidem rem habentem talem formam, sed non hanc prae illa. Sic homo significat habentem humanitatem, sed minime determinat in sua significatione hanc personam potius quam illam. Quoniam vero in uno eodemque subiecto plures formae seu quasi formae inesse concipiuntur, hinc terminus concretus, etsi distincte non significat nisi unam formam, minime tamen praecidit a suo significato ceteras, quae simul cum ea in eodem subiecto componi queant. Et haec est ratio quamobrem termini concreti mutuo praedicentur, et sic dicimus Petrus est homo, Homo est animal, et sic porro. Contra vero contingit in termino

abstracto. Hic significat formam, sed cum praecisione a re seu subiecto, cuius est forma, ac propterea significat per modum partis, et a suo significato excludit omne aliud, cui ratio formae significatae non conveniat. Hinc recte dixit Avicenna: *Equinitas est tantum equinitas*. Cum igitur pars nequeat praedicari de toto, vel de alia comparte, propterea falsae evadunt hae affirmationes: *Homo est humanitas, Humanitas est rationalitas, Rationalitas est animalitas*. Audiatur S. Thomas: "Potest hoc nomen corpus rem quandam designare, quae habet talem formam, ex qua sequitur in ipsa designabilitas trium dimensionum cum praecisione, ut scilicet ex illa forma nulla ulterius perfectio sequatur, sed, si aliquid aliud superadditur, sit praeter significationem corporis sic dicti: et hoc modo corpus erit materialis et integralis pars animalis, quia sic anima erit praeter id quod significatum est nomine corporis et superveniens ipsi corpori, ita quod ex ipsis duobus, scilicet ex anima et corpore, sicut ex partibus constituitur animal. Potest etiam hoc nomen corpus hoc modo accipi, ut significet rem quandam, quae habet talem formam, ex qua possint in ea tres dimensiones designari, quaecumque forma sit illa, sive ex ea possit provenire alia ulterior perfectio, sive non: et hoc modo corpus erit genus animalis, quia in animali nihil est accipere, quod in corpore implicite non contineatur. Non enim anima est alia ab illa forma, per quam in re illa poterant designari tres dimensiones; et ideo, quando dicebam quod corpus est quod habet talem formam ex qua possint designari tres dimensiones, in eo intelligebam quaecumque forma esset illa, sive anima esset, sive lapideitas, sive quaecumque alia forma; et sic forma animalis implicite in corpore sive in corporis forma continetur, prout corpus est genus eius (1). Et etiam talis est animalis habitudo ad hominem. Si enim

(1) Ex hoc discursu S. Thomae patet ratio quare dicatur animal non modo constare ex corpore et anima, sed etiam esse corpus animalium. In primo modo loquendi corpus sumitur ut pars, in altero

animal nominaret tantum rem talem, quae habet quamdam perfectionem, ut possit sentire et moveri per principium in ipso existens cum praecisione alterius perfectionis, tunc quaecumque alia perfectio ulterius superveniret, haberet se ad animal per modum partis et non sicut implicite contenta in ratione animalis, et animal non esset genus: sed est genus, secundum quod significat *rem quamdam, ex cuius forma potest provenire sensus et motus, quaecumque sit illa forma*, sive sit anima sensibilis tantum, sive sit anima sensibilis et rationalis simul. Sic igitur genus significat *indeterminate* id totum quod est in specie, (non enim significat tantum materiam); similiter etiam differentia significat id totum quod est in specie et non tantum formam; et etiam definitio significat totum et etiam species Et quia, ut dictum est, natura speciei est indeterminata respectu individui, sicut natura generis respectu speciei, inde est quod sicut id quod est genus, prout praedicatur de specie, implicite in sua significatione quamvis indistincte significat totum id, quod est determinate in specie, ita id quod est species, secundum quod praedicatur de individuo, oportet quod significet totum, quod essentialiter est in individuo, licet indistincte; et hoc modo essentia speciei significatur nomine *hominis*: unde homo de Socrate praedicatur. Si autem significatur natura speciei cum praecisione materiae signatae, quae est principium individuationis, sic se habebit per modum partis: et hoc modo significat nomen *humanitatis*; humanitas enim significat id unde homo est homo. (*De Ente et Essentia*, c. 3.) Huc usque Angelicus, cuius explicationem, etsi longiorem, hoc loco transcripsimus, quia mirum quantum deserat ad subtilissimas quaestiones suo loco decidendas. Hoc unum inde modo deducimus, nimirum nomina primae intentionis, quibus denominatio generis, differen-

ut totum. Quare haec vox *corpus*, licet grammaticè loquendo sit concreta, philosophice quantoque habet vim termini concreti, quandoque vero abstracti.

tiae, et speciei tribuuntur, concreta sint oportere. Hinc recte Avicenna (*Metaph.* Tract. 5. c. 6) ait, rationalitatem, ut in abstracto significatur, non esse differentiam, sed differentiae principium.

373. *Quaer.* VI. ☐ **Qua ratione aliae potentiae, praeter intellectum, dicuntur respicere obiectum universale?**

Respondeo, id non esse intelligendum de universali, ut subest intentioni universalis, sed de natura absolute spectata, cui talis intentio attribuitur. Et hoc modo etiam potentia sensitiva sive apprehensiva sive appetitiva * potest ferri, ait S. Thomas, in aliquid universaliter: sicut dicimus, quod obiectum visus est color secundum genus; non quia visus cognoscat colorem universalem; sed quia quod color sit cognoscibilis a visu, non convenit colori, in quantum est hic color, sed in quantum est color simpliciter. (*Summa th.* 1. 2^{ae} q. 39. a. 6.) Sic etiam dicitur obiectum potentiae effectivae omnium universalissimum esse obiectum potentiae creativae. Ut enim ex *Metaphysica* suppono, res per se primo terminal creatorem, non ut fiat haec vel talis, sed ut fiat absolute; ita porro convenit enti participato, prout huiusmodi.